



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Prudentia Et Cæteris In Confessario requisitis ad ritè
fructuoséque Diuini ministerij sui munera obeunda,
Tractatvs**

Regnault, Valère

Lvgdvni, 1611

Cap. IV. De prudentia Confessarij in adhortando & monendo pœnitente.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41341

nera ab illis accipiat. An lustrans domos, asperius agat, vt aliquid muneris extorqueat. An prætextu sui muneris aliquibus immeritis faceſſat negotium, aut violentia vtatur, &c. An conſilium inierit de aliquo capiendo, vel ſiſtendo Iudici, vt inde quaſtum facere poſſet. Cæteras interrogaciones de minus communibus nonnumquam faciendas attingit Angelus, & Tabiena in verbo Interrogaciones.

CAPVT IV.

De prudentia Confessarij in adhortando & monendo Pœnitente.

SUMMARIUM.

1. Qui vel non ſint, vel paucis tantum adhortandi ſint. 2. Qui obiurgandi, qui conſolandi. 3. De admonitione Pœnitentis errantis ex ignorantia. 4. Obligationem eſſe monendi, quando ignorantia fuerit vincibilis. 5. Quando omiſſio admonitionis inducat obligationem ad reſtitutionem. 6. Dubio inquirenti de rei veritate, ea eſt aperienda, etiam ſi fructus non ſperetur, ſcrupuloſo non item. 7. Pœnitens inuincibiliter ignorans ſuum errorem, monendus eſt, ſi fructus inde ſperetur. 8. Quid agendum ſit, ſi non ſperetur. 9. De eo quod Confessario agendum eſt in quibusdam euentibus, præſertim matrimonij inualidi. 10. Quando abſolutioni ſit præponenda admonitio, & quando poſtponenda. 11. Cum pœnitens deprehenditur aliquid omittere, expendendum eſt, antequam abſolutio ei detur. An id faciat ex ignorantia, an verò ex malitia.

POSTQUAM Confessarius pro munere iudicis per interrogationes adiūctas confessioni Pœnitentis, huius interioris animæ statum sufficiēter exploravit: prudentiæ ipsius est videre, an debeat necne, pro patris spiritualis munere, aliquam siue obiurgando, siue consolando adhortationem addere, & an sit aliquid, de quo debeat eundem monere.

- 1.** Pertinet autem primò ad istiusmodi prudentiam; vt sicut adhortationem, cum necessaria non fuerit, omittere debet: sic longiore, aut breuiore vtatur, secundum quod Pœnitentis necessitas dispositioque exegerit. Qui enim paucioribus grauati peccatis frequentius confitentur, & sunt bonæ conscientie: aut pluribus quidem peccatis grauati sunt, sed discretionem, intelligentiamque sufficientem pollent, & cum sufficienti dolore de peccatis, firmum conceperunt propositum vitam deinceps emendandi: non sunt longis adhortationibus fatigandi.
- 2.** Pertinet secundò, vt duriores, & obstinati, qui gratissimis onerati peccatis, exiguum admodum compunctionis, & Pœnitentiæ specimen exhibent, arguantur, increpenturque. Pusillanimes verò qui de peccatis suis tantum conceperunt dolorem, vt non obiurgatione sed consolatione egeant, confortentur; sicque pro Pœnitentium conditione increpatio, aut consolatio vsurpetur. Ad quod faciunt post dicenda in cap. 6. & 7.
- 3.** Pertinet tertio, vt Confessarius, cum necessitas, vel utilitas exigit, admoneat, vel admonere omittat Pœnitentem, quem discussa debite cōscientiâ confitentem videt aliquod peccatum tacere per obliuionem,

Adhortatio Confessarij ad Pœnitentem qualis, & quæ esse debeat.

uionem, aut ignorantiam inuincibilem : nimirum quia nullo modo meminit se illud commisisse, aut omnino ignorat illud esse peccatū mortale, de necessitate confitendum. Ipse vetò Confessarius certè nouit tale ab eo commissum esse; quia scilicet cōmitti vidit, aut probè instructus est de grauitate illius peccati, quod tamquam leue tacetur à Pœnitente. Ad id autem ritè, debitèque præstandum, tenenda est doctrina quam latius quidem persequitur Adrianus in quarto, de Confessione, a sed vt breuius, sic & melius Sotus b, & Canus in relect. de Pœnitent. c' & Medina in Cod. de Confessione d. quibus nouissimè accesserunt tum Suarez etum Sanchez f à quo alij citantur. Cuius doctrine summa his propositionibus comprehenditur.

a dub. 7.
post 5. qu.
b in 4. dist.
18. qu. 2. art.
4. sub finē.
c part. 2. §.
hinc vetò.
d quest. 19.
e tomo 4.
disp. 31. sect.
4.
f lib. 2. de
matrimonio disp. 38.
4.

De admonitione errantis ignorantem.

SECTIO PRIMA.

PRima est: quādo Confitentis obliuio, vel ignorantia vincibilis fuerit (quod colligi poterit ex eiusdem confitentis conditione, & ex dubitationibus, quas facit) Confessarius obligatur ipsum instruere, & admonere de eo, quod nouit debere in confessione exprimi, & aduertit per talem obliuionem, aut ignorantiam taceri. Hanc propositionem (quam sine controuersia receptam esse notat Canus) satis confirmat obligatio, quam Confessarius habet supplendi in confessione quod necessarium est ad illius validitatem. Nam talis siue obliuio, siue ignorantia, quæ de se culpabilis est, non excusat à mortali peccato: ideòque in tali casu obligatur Sa-



cerdos Pœnitentem instruere, quidquid sequatur, & siue profit, siue oblit admonitio: eumque informare de veritate, vt eâ cognitâ, resipiscens conuertatur de tali peccato: sicq; legitimè cōfiteatur. Quod si non faciat, & nihilominus absolutionem petat, peccat mortaliter h peccato sacrilegij commissi contra Sacramenti sanctitatem in eius notabilem iniuriam: sique Confessarius eam impendat, tamquam malè fungens Iudicis & Medici officio in re grauissima, infideliterque dispensans Dei mysteria, peccat quoque mortaliter, neque absolutio valet. *h ita Med. loco cit. §. similiter.*

Iam quod visum est quibusdam, tunc Confessarium teneri quoque ad restitutionem, si peccatum fuerit commissum in damnum proximi, reiici potest: quia Confessarius ex officio, quod gerit, tenetur quidem lege iustitiæ cōsulere animæ Pœnitentis sibi confitentis: sed aliorum bono consulere non tenetur, nisi de communi lege charitatis. Vnde si interrogetur à Pœnitente, An restituere debeat, ipseque neget, tunc quidem tamquam cooperator iniuriæ, tenetur ad restitutionem, sicut teneretur quiuis alius similiter interrogatus, si consuleret nõ restituere. Sed si Pœnitens nihil interroget, Cōfessarius ex eo solùm quod audiat vsurarium, verbigratiâ, & culpabiliter tacens, nihil eum de restitutione moneat: quamuis peccet contra charitatem, non tamen contra iustitiam, quia ex officio, quod gerit, non tenetur bono illius tertij, cui facienda est

restitutio, ita consulere, vt contra debitum iustitiæ agat, non admonendo faciendam esse restitutionem. Secunda propositio est, Quæcumque sit ignorantia Pœnitentis, si dubius de aliqua re interroget

6. Confessarium; hunc teneri veritatem illi aperire, quantum

g ita Sotus loco cit. prof. 2. Cōfessarius tenetur informare Pœnitentē, quando videt eum errare. h ita Med. loco cit. §. similiter.

Cōfessarius nõ tenetur ad restitutionem dāni alteri illati à suo Pœnitente.

Confessarius tenetur suo Pœnitenti veritatem aperire.

quantumcumque id nihil sit profuturum: ratio est, quia Pœnitentis conscientia, sic læsa est illo dubio, ut ipse desinat esse in bona fide: taciturnitatem vero Cōfessarij posset ipse interpretari in suum fauorem, approbationemve sui erroris. Verumtamen restringi posse videtur hæc propositio, ut nō habeat locum quando Pœnitens interrogat, non ut verè dubius, sed ut scrupulo agitur: quia per scrupulū, cum sit dubium carens fundamento, non aufertur bona fides, & inuincibilis ignorantia: adeo ut Cōfessarius ad vitanda grauiā incommoda secutura, possit tacere, aut dicere, ut abiiciat scrupulum. *k*

Tertia propositio est: Quando Pœnitentis obliuio, vel ignorantia fuerit inuincibilis, tenetur Cōfessarius illum admonere de eo, quod ex tali obliuione, vel ignorātia dicere prætermittit, si fructum verosimiliter sperat ex data informatione de veritate. Hanc Canus confirmat; tum quia Cōfessor absoluens Pœnitentem errantem circa materiam peccati mortalis, & in omnibus paratum corrigi, opere suo errorem illius cōfirmat, tum quia Cōfessarius quidem, ut Cōfessarius, tantum est Iudex & Medicus, qui circa peccatū (à quo excusat ignorantia inuincibilis) munus suum exercet: tamen ut simul est proprius Sacerdos, & Pastor, ac doctor, infideliter ageret contra magisterium sibi commissum, nisi errantem doceret: cum videamus Pœnitentes ad eum tamquam ad Dei vicariū accedere, non tantum ut absoluantur, sed etiam ut instruātur.

Quarta propositio: Cum nulla Cōfessario datur spes quòd Pœnitēs ex informatione veritatis profecturus sit, fatius tunc esse illum in sua ignorantia relinquere: siue ignorātia sit iuris diuini, vel humani, siue

i Pro hac
plures au-
ctores ad-
fert Sanchez
loco
cit. nu. 14.

Per scrupu-
lum nō au-
fertur bona
fides.

k hoc habet
Sanchez ibi
dem.

Si obliuio
Pœnitentis
venit ex
ignorantia
inuincibili,
tenetur
Cōfessarius
eū monere.
loco cit.

8. Pœnitēs in
sua ignorā-
tia quando
relinquen-
dus.

ni, siue ignorantia facti, & siue peccatum sit continuatum in damnum proximi, siue non sit. Pro hac multis Sanchez citat *m*, & cum Nauarro censet eam procedere, non modò quo ad peccatum commissum, sed etiam quoad committendū: quādo ipsum inuincibiliter ignoratur, nec spes est probabilis quòd is qui admissurus est illud, si moneatur, acquiescet abstinendo ab illo. Et ita (vt exemplo proposito rem illustremus) in sua ignorantia inuincibili relinquendus est: tum is qui matrimoniū contraxit cum impedimento dirimente: tum etiam is qui simili modo contracturus est; quando probabiliter creditur in proposito perseveraturus, non obstante monitione. Addit præterea Sanchez *n* procedere, quantumuis Confessarius ita sciret illud, de quo moneret, vt ipsum probare posset; item quantumuis malum, quod timetur secuturum ex admonitione, prouenire deberet, non ex infirmitate, sed ex malitia admoniti. In cōfirmationem autem propositionis huius, Medina & Canus *o* adferunt dictum D. Augustini quòd refertur in cap. Si quis, de pœnitent. distin. 7. Si scirem nihil tibi prodesse, non te monerem, non te terrerem. Item que alteram, quod vt rationi consentaneum usurpatur à Theologis ex Salustio in Carilinarum: *Frustrantis, & nihil aliud laborando, quam odium querere, extrema dementia est.* Quibus accedit ratio, quòd nulla lex obliget ad actus inutiles, & otiosos: qualis censeretur dicta admonitio: vtpote quæ longè aberrat à fine in quem ordinatur. Is enim est bonum confitentis, sicut finis correptionis fraternæ est bonum eius qui corrigitur: bonum autem confitentis per talem admonitionem non promoueretur, sed impedire

Nulla lex obligat ad actus inutiles, & otiosos.

impediretur: vt ex eo patet, quòd in tali casu, si ille monitus de veritate non acquiescat monitioni, incapax sit absolutionis; manens verò in ignorantia sua inuincibili, non informatus de veritate, sicut potest sufficienter conteri de omnibus suis peccatis, & confiteri de omnibus quorum memoriam habet discussa diligenter conscientia: sic etiam potest dignus haberi absolutione. Quod autem Adrianus in contrarium adfert, ostendendo scandalum permittendum esse potiùs, quàm omittendam veritatis declarationem: Canus admonet intelligendum esse de publico doctore, cuius doctrina licet aliis sit odor mortis in mortem, debet nihilominus tradi populo. Itaque doctrina quidem, quæ ordinatur ad bonum publicum, non est intermittenda ob malum priuatum: sed doctrina, quæ pro fine habet bonum priuatum, cessante tali fine ipsa quoque cessare debet: Vnde sequitur præfatam admonitionem cessare debere, quando ea creditur non cessura in confitentis priuatum bonum, quod est illius finis. Excipe casum in quo ex ignorantia timeretur notabile detrimentum boni communis, cui postponendum est bonum priuatum. Cuiusmodi casus Sanchez *p* exemplum proponit, si parochus ex ignorantia populum suum erroribus in fide aut in moribus imbueret; aut si publica fama esset de inualiditate matrimonij suorum cohabitantium.

p in cit. disp. 38. nu. 15.

Resolutio

Resolutio ex dictis, de eo quod in nonnullis eventibus agendum est à Confessario, ut procedere censeatur cum istiusmodi prudentia.

SECTIO SECVNDA.

EX dictis, ut Canus subiungit, resoluitur facile, quid à Confessario in multis eventibus agendum sit, ut censeatur cum istiusmodi prudentia procedere. Nempe si Berta nupsit Petro occultè, non consummato matrimonio: deinde publicè contraxit cum Ioanne, & consummauit, cum eoque manet bona fide, inuincibiliter ignorans ius diuinum, per quod irritum est posterius matrimonium, propter prius validè contractum. Item si duo contraxerunt in tertio vel quarto gradu affinitatis, ignorantes inuincibiliter ius humanum, quod prohibet, & reddit inualidum tale matrimonium. Item si bona fide Berta contraxerit matrimonium cum Petro, credens probabilibus argumentis priorem suum maritum esse mortuum. Quod est laborare inuincibili ignorantia facti, seu nescire inuincibiliter, quod de facto priori ipse maritus adhuc uiuat. Item si aliquis contractum usurarium fecerit, ignorans inuincibiliter talem esse, eo quod in illo palliata usura sit valdè occulta, atque ille adierit viros doctos, & fide dignos ad habendum consilium; & responsum acceperit tale quid sibi esse licitum.

9. In his igitur omnibus, & similibus prudenter, (prout tenetur) aget Confessarius, si credens suum consilium profuturum, admoneat; sin minus, non admoneat, siue id sit

in detrimentū proximi, siue non : & siue sit contra
ius humanum, siue contra diuinum, inquit Canus,
addens id intelligendum esse cū nec statim, nec
postea fructus admonitionis speratur. Quam do-
ctrinam Medina *q* quoque inculcat, inquiens si ve-
rosimile est, quod confitens si ei veritas quam in-
uincibiliter ignorat notificetur, ita scandalizabitur,
quod nunquam finis notificationis eueniet: nempe
quod propterea non recedat à peccato, nec proximo
læso satisfaciat : Confessarium malè agere in-
formando illum de tali veritate, deberèque sine ta-
li informatione ipsum absoluerè. exempli gratia; si
quis iuridicè in iudicio torquendus, putet omnino
sibi licere veritatem negare ad liberandum se à
morte & infamia, non est monendus id esse ipsi il-
licitum: sed sufficiet interrogare in vniuersum, an sit
paratus quiduis pati potius quàm Deum offendere.
Si enim pœnitens non tenetur particulares com-
parationes sumere, (vt pati extremi supplicij igno-
miniam, & sic de similibus) ad explorandam suam
contritionem; multo minùs tenetur Confessarius
ab illo eas interrogare.

q in cit. qu.
Corol. post
3. dictum.

Iam si scandalum, quod euenturum timetur,
momentaneum sit; ita vt non speretur quidem
tunc fructus admonitionis, spes sit tamen, eum
breui secuturum; Confessarius tenetur pœnitentem
ipsum informare de veritate, quam ignorat. Pro
qua doctrina Sanchez *r* plures auctores referens *r* in cit. dis-
addit cum eodem Medina, præstare monitionem *put.* nu. 16.
fieri post absolutionem, quam ante: ne ex pertur-
batione gratia & fructus Sacramenti impediatur.

Addit adhuc Canus, si alicunde constaret fore,
vt pœnitens moneatur ab alio Confessario, qui im-
pruden

prudenter malo illius medebitur, consultius esse ignorantem admonere; nisi adhibendum sit remedium intolerabile, quale censebitur si exemplis supra positis addas susceptos esse filios ex existimato matrimonio, diuturnam cohabitationem, scandalum publicum, & similia: Quo euentu inquit Canus, nullus tam imprudens erit, quin præsens horreat periculum, tum perplexitatis, & difficultatis, in quod conijcientur qui sunt in bona fide: tum occasiones peccandi capiendas ab aliis, qui alioquin sunt in bono statu. Id quod (aliis citatis) Sanchez s ita verum esse vult, vt in eiusmodi casu Confessarius nolentem debitum coniugale cogere, debeat ad id cogere, tamquam à peccato excusatum ob ignorantiam inuincibilem si reddat: & peccatam contra conscientiam, si non reddat. Neq; metuitur dicendo illum esse suum coniugem, cum sit communi existimatione; sicut nec mentita est Beata virgo cum dixit Christo: *Ecce pater tuus, & ego dolentis quarebamus te*: Luc. 2. quia quamuis S. Ioseph non esset verè pater Christi, erat tamen reputatione communi. Infert idem Sanchez & argumento à maiori quando pœnitens sub lathali culpa tenetur ad aliquid adeo difficile, vt Confessarius credat ipsum non esse tunc a quo animo accepturum admonitionem, aliàs verò admissurum meliùs, quamdiu nouit eum excusari per ignorantiam inuincibilem, posse tacere, & in tempus opportunius admonitionem differre; adeoque prudenter agere Confessarios eos, qui non omnia, ad quæ tenentur pœnitentes, simul, primaque vice aperiant; ne deterriti abstineant omninò à Confessione, sed ipsos paulatim docent de iis, ad quæ tenentur. Quæ quidem in re, opus

s in præced.

nu. 7.
reddats in sequen.
nu. 2.

re, opus est magna circumspectione, in eaque vt plena periculi implorandum est seriò diuinum auxilium vt vnctio doceat nos, de qua D. Ioan. in pri. sua epist. cap. 2.

Quando absolutiõni sit præponenda admonitio, & quando postponenda.

SECTIO TERTIA.

A De eadem, de qua agimus, prudentiam per-
tinet, vt Confessarius aduertat num Pœni-
tentis admonitionem differre debeat post sacra-
mentalem absolutiõnem, an eidem præmittere.

Si enim iuxta primam propositionẽ antè traditam
facienda sit ignorantia vincibiliter: dubium non est
præmittendam esse absolutiõnem ipsi, quæ alioqui
esset inualida. Sin iuxta secundam propositionẽ, fa-
cienda sit ignorantia inuincibiliter, cum admonitio
speratur profutura: obseruare oportet doctrinam
Medinæ v statuentis, si Confessori verosimile sit,
quòd si confitentem absoluat priusquam de verita-
te eum informet, non proficiet ad finem retrahen-
di eum à peccato assuetò, vel permonendi ad sa-
tisfaciendum proximo per ipsum læso: proficiet au-
tem, si eum informet ante absolutiõnem: tunc
eundem Confessorem, antequàm pœnitentem ip-
sum absoluat, teneri de præfata veritate cum in-
formare, atque absoluere, si promittat à tali pec-
cato abstinere, & proximo satisfacere, aut saltem
(quando Confessor scilicet talis fuerit, cui tamquàm
minus perito, non teneatur simpliciter credere) da-
ta fide, quod faciet illud de quo admonetur, si ab

Quado dif-
fecienda sit
admonitio.

v in cit. co-
rol.

aliis fide dignis id sibi faciendum esse edoctus fuerit. Quod si neque hoc, neque illud proponat, absolvens non est, quia non poenitet verè, & ideo obicem ita ponit absolutioni, ut nulla esset, si impenderetur.

Confessarius
quando potest & debet
negare absolutionem
Poenitenti.

Addit idem auctor, Confessorem, qui probabiliter iudicat, confitentem inuincibili ignorantia laborantem non cessaturum à peccato assueto, praesertim in praedictum proximi continuato, neque eidem proximo laeso satisfacturum, nisi absolutio negetur, hacque negata recessurum à peccato, & satisfacturum; posse, atque etiam debere eam negare nolenti parere, postquam suus error sufficienti auctoritate, aut ratione conuincente demonstratus illi fuerit. In eo enim praebet se indignum absolutione ipsa, cum inuincibilis ignorantia tunc cesset, quando veritas sufficienter ostensa est. Attamen, ut idem quoque auctor admonet, id locum habet tantummodo, cum sic admonitus subterfugere nequit, quin tamquam conuictus per demonstrationem veritatis factam, teneatur adhaerere sententiae Confessoris. Si enim subterfugium, excusationemve aliquam habeat; ut quod ab aliis fide dignis oppositum audierit, sitque à viris doctis paratus eo nomine magis informari, quod non reputet se sufficientem ad soluendum motiuum à Confessore allatum, quod fortè alij soluere scient: absolutio neganda non est promittenti ex animo, se facturum illud omne, ad quod se teneri copererit: quia cum per tale motiuum veritas non demonstratur ei satis euidenter, is adhuc perseverat in sua ignorantia inuincibili: nisi esset persona simplex, quae ex sua simplicitate erret: non autem ex eo quod à viris aliqui

doctis,

doctis, & fide dignis sit malè informata. Nam talis, pro sua qualitate, Confessori parere tenetur: ita vt id nolens, culpabilis reddatur ignorantia ipsius: nec obstat, quin censendus sit indignus Sacramentali absolutione. Hæc hæctenus Medina, quæ vt rationi consentanea sequi licet in praxi.

Pertinet quintò ad eam, de qua agimus, Confessarij prudentiam, vt audita Confessione aduertens aliquid omissum esse à Pœnitète, quod oportuerit exprimi: antequâ absoluat, examinet eum an talis omissio sit ex ignorantia, an ex mera malitia; si quæ ex ignorantia esse deprehenderit, vtatur, prout admonet Sotus, & acumine in perpendendo ex qualitate personæ, quæ confitetur, & ex aliis coniecturis, num talis ignorantia, qua peccatum aliquod in confessione prætermissum est, crassa sit; & quam Confitens teneatur vincere ad hoc vt eum iuxta antedicta moneat. Talis verò ignorantia maxima coniectura erit, vt bene monet Sanchez y, si Pœnitens de bono suo statu dubiam conscientiam habere deprehendatur: non item si aliàs habuerit, & nunc se bonam habere demonstrat; quia fieri potest, vt aliquos consuluerit, qui conscientiam ipsius sedarint; nec item coniectura est sufficiens, quod confiteatur peccatum aliquod, cui illud, quod reticet est consequens, vt se cognouisse carnaliter sororem illius, quam postea duxit in vxorem (vnde sequitur matrimonium esse nullum) quia huiusmodi nullitas non est ita consequens ex tali facto, quin cognito ipsum esse peccatum, possit inuincibiliter ignorari tale matrimonium esse nullum, & facere copulam illicitam. Si verò deprehenderit omissionem eam esse ex malitia, nimirum, quòd velit Pœ-

in 4 dist. 18. quæst. 2. art. 4. sub finem.

in citata disput. 38. num. 3.

Quando nitens reticere peccatum, caueat quantum potest, ne perperam det absolutionem, laboreque interrogationibus veritatem ex illius ore prudenter elicere: caueat etiam iudicare se tale aliquid nosse ex aliena confessione. Quod si omni quam potest adhibita diligentia, & industria, videat se nihil proficere, geret se cum eo tamquam cum indisposito: de quo non absolueno dicitur in sequenti cap. 21.

omissio facta est ex malitia, quid sit faciendum.

Exemplum huius rei esse potest si Confessarius sciat suum Pœnitentem acquisiuisse beneficium per simoniam, aut pecuniam dedisse ad vsuram, aut vt alicuius personæ turpi consuetudine, aut aliud mortale perperrasse, quod dissimulat inter confitendum: quia non vult malè accepta restituere, aut vitæ suæ turpitudinem veretur aperire, aut nō stauit eam emendare.

CAPVT V.

De Confessarij prudentia in disponendo Pœnitente ad contritionem, seu odium & detestationem suorum peccatorum.

SUMMARIVM.

1. Confessario debet nota esse Pœnitentis contritio, antequam illum absoluat.
2. Non ostendens contritionem, qua ratione monendus.
3. Qualis imperfecta contritio deprehensa in Pœnitente sufficere possit ad illius absolutionem.
4. Signa contritionis ad absolutionem